

1123 Moverant nos tanti viri preces. Sed quum jam ad vos de hac re relaturi essemus, deque classe comparanda agitari cœptum esset, trepidissimis est nunciis allatum, Baldoinum a Dalochio Parthorum Rege captum, Carrasque in vincula abductum. Quo christianissimi viri casu consternatus Varinundus, Hierosolymitanus Antistes, & cæteri, qui urbem præsidio tenent, confestim ad Calistum Pontificem misere, opem fidemque ejus implorantes: quibus nisi primo quoque tempore subveniatur, nemo est, qui de eorum salute, deque rebus in ea terra receptis non omnino actum existimet. Tantæ rei periculo commotus Romanus Pontifex, Venetos solos dignos judicavit, quibus res tanta tuto committeretur: ad Principem vestrum, & ad vos misit, Veneti cives: precatur, orat, obtestatur, ne Christianam fidem in tanto discrimine deferamus. De ea re ad vos vester Dux referendum duxit: velitis, jubeatisque hoc nomine classem validissimam parari: ad quod ipsum non solum pietas, nostrumque in Romanam Ecclesiam ac Christianos omnes studium adhortatur, quod a majoribus nostris velut hæreditarium acceptum, non tantum servare, sed enixe etiam augere debemus; verum ipsa quoque Imperii propagandi ratio. Erit (quis non videt?) illud præcipue pium, quod ipsum in primis spectari oportet, nec non vehementer dignum ea, qua censemur, pietate, eam terram armis protegere, & ab omni impiorum injuria vindicare, ubi Christus Rex noster nasci voluit, obrepere, flere, tradi, capi, transfigi, suumque sanctissimum corpus monumento condi: ubi, velut divina literæ testantur, Judex ille summus est humani generis causam quandoque cogniturus. Quem sacræ ædis apparatus? quod cœnobium? quas aras putamus illi gratiores pia hac expeditione futuras? qua sciat sua incunabula, suum sepulchrum, cuncta denique susceptæ humanitatis vestigia, a tam indigna liberari servitute. Verum, quia humanæ res ita sese habent, ut publica pietas nulla ferme sit quæ ambitione careat, & vos quoque fortassis, ex quo hic verba facere occœpimus, quis honor, quæ gloria, quæ præmia expectanda hinc essent, taciti quærere cœpistis: decorum certe est,